



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Internam animi eius gaudium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

quibus gestiebat sancti adolescentis animus, ubi receptum se in domum Domini conspexit: nam ut hi Deo soli noti, sic à nemine sunt notati. Illius etiamnum primæ vesperæ memini, cum post cœnam, dum in conclavi staret, in quod omnes ad remittendum animum conveniunt; ubi mundo se expeditum, Dei quæ servis adnumeratum vidit, tantâ fuisse interiùs dulcedine perfusum, ut totâ eâ horâ, ob tenerrimum animi sensum, lacrymis continenter indulgere cogeretur.

*Internum
animi gaudium.*

Quamprimùm fuit in familiam adlectus (neque enim diu latet virtus) sui statim specimen dedit, innocentis nimirum (qualis erat) puri, prudentis, omni quæ in re absoluti; planè ut Novitiorum instructor, ceteris eum in exemplum proponeret imitandum. Atque hinc etiam, quâ in opinione eum Superiores habuerint, intelligi potest; quòd cum necesse esset, creari ex ipsis Novitijs unum aliquem, qui reliquis Tyronibus quodammodò præesset, eos quæ in externâ disciplinâ duceret, ac suum cuique munus partiretur, quique instar socij, vicariam quamdam operam commodaret ipsi Magistro Novitiorum; id munus scilicet detulerint Joanni: quod ille tantâ omnium approbatione gessit, ut nemo unquam sit repertus, vel è centum amplius Novitijs (quot tum capita cen-

*Virtus eius
se prodit.*

*Novitiis
ceteris præ-
ficiuntur.*